Dissertatio medica inauguralis, de abortu ... / Eruditorum examini subjicit Johannes Redman.

Contributors

Redman, John, 1722-1808.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Conradum Wishoff, [1748]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vdcfczmy

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ABORTU.

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. JOANNIS ALBERTI,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu, & Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis rite, ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

JOHANNES REDMAN, Pensylvaniensis.

Ad diem 15. *Julii* 1748. *horâ locoque solitis.*

Nulla est quæ pulchriora laborum præmia cultoribus persolvit, quam medica sapientia.

H. BOERHAAV. *De usu ratiocin. Mechan. in Medicina p.* 54.

AMPLISSIMO

AC

SPECTATISSIMO

VIRO

D GULIELMO ALLEN,

URBIS PHILADELPHIÆ,

SENATORI GRAVISSIMO, IRENARCHÆ INTEGERRIMO.

Excellenti virtute, præclarisque animi dotibus cumulate ornato: nec magis ob ſummam morum integritatem, quàm plane ſingularem, quâ omnes proſequitur, benevolentiam, conſpicuo: nec minus, ob inſignem, qua me meosque complexus eſt, munificentiam, memorando.

MÆCENATI SUO IN PERPETUUM COLENDO.

VIRO

EXIMIO

D. JOHANNI KEARSLEY,

MEDICO *IN EADEM URBE* CELEBERRIMO

Ingenio, arteque Sanandi peritiâ, & ſucceſſu

INSIGNI.

NEC NON

VIRO

LECTISSIMO

D. THOMÆ BOURNE,

Non magis ob insignia ipsius in multis aliis merita,
Quam quod sibi fuit vitricorum optimus.

UT ET

JUVENI GENEROSO

D. JOSEPHO REDMAN,

FRATRI SUO DILECTISSIMO,

Theses hasce Medicas, studiorum suorum Primitias;
Qualemcunque perennis observantiæ,
Animi grati &
Amoris tesseram,

D. D. C. Q.

JOHANNES REDMAN.

PROEMIUM.

Præteriit jamdudum, irretorto pede præteriit felicissima illa ætas quâ ver erat æternum, nec terras fœdabat hyems gelida, nec torrida torquebat æstas; qua tellus intacta rostro, nec ullis saucia vomeribus, per se dabat omnia. Tunc integro vitæ homini, sceleri sque puro pœna metusque aberant. Tunc doloris morbique nescius mentem sanam servabat in corpore sano. At quantum mutatus ab illo qui fuit, & nunc est! Post ignem ætherea domo subductum; post reclusam (deleat oblivio memoriam) Pandoræ pixidem, macies & nova malorum terris incubuit cohors. Jam semoti prius, tarda lethi necessitas corripuit gradum. Jam nihil sine magno labore dat vita mortalibus. Jam per gelidas hyemes, per igneos æstus, per inæquales ideoque (a) noxios corporibus autumnos, & breve ver totus annus exigitur. Sed nec miseriæ finis. Hominem si structuram & artificium spectes, naturæ quidem gaudentis opus; at si morborum iliadem, novercæ ludibrium dixeris. Vix spiritum cœpit ducere cum ipsum undique circonveniunt offendicula. Suos quælibet ætas patitur manes. Nec ætalibus tantum, sed sui sunt cuique tempestati, cuique regioni, cuique corporis parti morbi peculiares. Adeo verum est totum esse hominem a natura morbum. Misera vero forte & iniqua videatur fœminarum speciei conservatricum sors, quod quamplurimis ipsis peculiaribus affectæ sunt Calamitatibus, & ea ipsa sola ratione quod matres fierent.

Quot interim & quantis beneficiis hominum quisque mulieribus obstrictus sit, nullus sanæ mentis negabit. Virorum enim quis operosas & primæ infantum educationis institutionisque curas capescere fastidiosas, & iis se obligare vellet? Pro tam benefica in infantilem & puerilem gentem munificentia, summis encomiis celebrandæ fœminæ; non in hoc solum laudandæ; & nihil a virorum dignitate detrahendo, plurimum

(a) Celsus Lib. 1. Ch. 3.

mum aliunde valent, ipsarumque excellentia, tum profanis tum sacris codicibus prædicatur. Maximis virtutibus sæpius præditæ: Ad artes & scientias habilitate cum viris certant fœminæ; venustate vero & eloquii dulcedine eos superant: Ad amorem compositæ, ut conjugii nexu blando, ad natorum procreationem conspirantes, continuo labentis specici humanæ ruina perpetuo resarciatur. At quanto redimunt pretio liberalis naturæ dona?

Culpæ communis prima sons fœmina, amariores multo luit pœnas; Ipsius tranquilitati & valetudini undique insidiatur temperamentum dibile, partium delicatior structura. Instrumenta quæ ad menstruationem, conceptum, graviditatem, partum, puerperium, & lactationem dicantur, affectus multigenos, a virorum morbis longe diversos suppeditant; eminentibus menstruis pati ediscunt, nec sine discrimine menstruari obliviscuntur & desinunt. Non tamen a morbis quibus viri jactantur, immunes sunt fœminæ: graviori complicatione, gravius plerumque periclitantur.

Humanitate ergo & gratitudine ad morbos fœminarum studendos ducimur, inter quos illi, qui gravidationis tempore fiunt, non ultimum sibi locum venditent. Et quemadmodum nihil generationi animali frequentius neque majoris momenti, ad nobilissimam mundi visibilis partem, in perpetua mortalium inter se succedentium serie, continuandam; ita nihil genere humano utilius esse potest, quam modum scrutari investigareque, quo tuto conservatur ad perfectionem, & tandem debito tempore feliciter in vitæ lumen producatur, quod in tenebris genitum fuit. Cumque corpus humanum, in quovis statu ad medicinam spectet, sic ejus ante & in, æque qua, post partum, conservatio, medico summæ debet esse curæ; hac de causa me tempus haud inutiliter impensurum existimavi, si studendo & investigando hanc gravissimam ac utilissimam materiem, (accuratiori indagatione dignam, ob duplex periculum nempe matris & fœtus, si aliquid mali accidat,) omnes animi nervos applicarem. Nisi vero institutis hujus Academiæ inter eruditos per orbem terrarum tam merito celebris, theses publicas, pro specimine studiorum, priusquam doctoratus gradum assequi liceat, facere obstrictus fuissem; hæc profecto typis in meos usus solummodo fabrefactis, neutiquam esset excusa. Meipsum enim quod attinet. B. L. si optionem facerem, ætatem in rebus discendis tantummodo terere malem; sed alinæ matri subserviens, ejus mandata obsequenter exsequor, hocceque molimen tibi submitto. Tu interim, si in amplissima hac materia vires defecerint, aut in conscribendo ordine, vel ratiocinis error irrepserit & rudior stylus offenderit, benigno ut interpreteris animo, rogo & confido.

DIS-

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ABORTU.

§. I.

uanquam corpus humanum ob ſymmetriam ejus generalem, conditoris ſui optimi ſapientiam ſatis ſuperque evincit; nunquam tamen magis debet noſtra incitari admiratio, quam in ſtructura partium, earumque inter ſe conſentia & dependentia, ac mirâ ad functiones quibus deſtinatæ ſunt perſolvendos aptitudine, perſcrutandis: neque minus admirandus eſt uniuscujusque partis ſitus, & pro pulchritudine, & pro uſu.

Ut ergo, de Abortu tractaturus, bono ordine eum pandam, ad intellectum facilitandum pauca de ſitu & ſtructura uteri, nec non de menſtruis & conceptu, præmittere, haud inconſultum habeo.

§. II. In hypogaſtrio, ſeu abdominis infima parte, quæ pelvis dicitur, ſitus eſt mollis, pulpoſus, facile extenſilis, multum elasticus, fere liber, nec fixus, vix preſſus, totusque pene vaſis conſtans uterus: hicque collocatum exiſtimamus, quia locus ille generationi aptiſſimus eſt; nam non ſolum ſine ullius partis læſione pro fœtus magnitudine in magnam molem diſtendi poſſit, verum etiam ab omnibus externis injuriis protegitur ac conſervatur: ab anteriori namque parte, ab oſſe pubis; a poſteriori ab oſſe ſacro,

a lateribus ab ossibus ilion, tanquam tutissimis mœniis circundatur; Atqui etiam parituro fœtui inde exitus ad inferiora facilis est.

Hanc uteri distensionem prudens natura in gravidis prospiciens, in fœminis, pelvis capacitatem ampliorem efformavit, quam in viris: Hinc in illis ipsæ lumborum vertebræ incipiunt magis declinare, os sacrum brevius, latius & magis extrorsum vergit, tum & os coccygis rectior est & plus retrocedens, mucrum vero antrorsum vertitur, ut fœtum sustineat, atqui simul ita articulatur, ut facile retrorsum flecti possit, & sic spatium augeat; ossa quoque innominata sunt latiora, plusque a se invicem remota; superius nempe ossa Ilia magis patula, cava, magisque ad latera reflexa, unde non solum inferiorem partem abdominis extendunt, sed ad uterum distensum sustinendum aptiora evadunt; inferius vero tubera ossium Ischii planiora, longeque plus distant; porro ossa pubis longe majori & obtuso angulo uniuntur, breviori vero sed crassiori synchondrosi coeunt, eorumque partes inferiores itidem magis extrorsum feruntur; ita omnia concurrunt ad apperturam fœtum transmissuram augendam: denique femorum cervices magis transversæ, cum trunco angulum faciunt majorem, adeoque ibi fœmina latior est, ut latescens in graviditate abdomen firmius sustineri possit (*a*).

§. III. Uteri figura varia est: alia in gravidis, alia in non gravidis; in his figuram pyriformem obtinet, anterius vero urgente vesica urinaria, posterius intestino recto, latera hæc comprimuntur, magisque ad se invicem accedunt; sumptæque inde diametri defectus, in aucta latitudine absumitur; adeo ut lagenæ florentinæ speciem quodammodo præ se ferat; cujus portio latissima, fundus; angusta vero, cervix appellatur. In gravidis vero prioribus mensibus vesicæ urinariæ non absimilis est, pedetentim magis magisque distenditur, & quidem ita, ut postremis mensibus ad figuram sphæricam vel forte potius ovalem proxime accedat. Ad uteri figuram spectare videtur ejus cavitas, quæ in utero non prægnante tam exigua est, ut fabam majusculam vix capiat. Hujusce cavitatis figura probe considerata, proxime ad triangularem accedit, cujus duo anguli in fundo existentes, utrimque a tubis Falopianis exiguo foramine perforantur; Angulus vero longior versus collum, ductum prioribus ampliorem format; pars cujus inferior ter-

(*a*) Vid. Boerhaav. Institut med. & Haller. not. Albin. osteol. Monro. osteol. Palfyn. Anat. &c.

terminat in ſectionem ſeu rimam transverſam, quæ proprie os uteri dicitur, & in virginibus tam exiguum, ut ſtylum tenuiorem ſolummodo accipiat: aſt in mulieribus qnæ ſæpe pepererunt major evadit. Hoc osculum uteri in vaginæ capacacitate prominens, tinci piſcis ori, aut ut Galenus mavult, glandi virili perſimile eſt, glandulis non paucis donatum quæ lympham viſcidam excernunt. Situm porro obtinet obliquum, fundo poſteriùs ſuperiùsque, cervice anteriùs, inferiùs vergente. Connectio eſt à parte anticâ veſicæ urinariæ; poſticâ inteſtino recto, quibus veluti pulvinaribus incumbit; a latere vero, duobus utrinque ligamentis latis & rotundis firmiter in ſuo loco detinetur, dum cervix vaginæ accreſcit. Neque tamen hæc vincula impediunt, quin ſcopus ſatis amplus diſtenſioni ſuæ pateat, dum mulier utero gerit; fundus enim qui ad fœtus incrementum augeri debet, omnino liber eſt, nullique annectitur parti, ut extendatur conrrahaturque liberius.

§. IV. Eſt inſuper uteri magnitudo varia pro mulieris ætate, temperamento, libidinis uſu, corporis proceritate, fœtura, aut ſterilitate &c; neque proinde apte deſcribi poteſt. Harveius (cujus nunquam ſine reverentia opportet meminiſſe) in puellis tenerioribus fabæ moli, in virginibus pubeſcentibus (ejusdemque fere magnitudinis eſt in vetulis) pyro, in mulieribus ovo anſerino conparat (*b*); fortaſſe in validioribus, & iis quæ ſæpe pepererunt, aut frequentius veneri indulgent, paulo major evadit. In ſtatu vero præternaturali uterum 40nas libras ponderaſſe, obſervatum fuit (*c*). Uteri autem mediocris longitudo ab osculo usque ad extremam fundi partem tres circiter digitos transverſos adæquat; latitudo circa fundum duos digitos quadrat, circa vero collum, digitum unum non excedit, ut Winſlow & alii teſtantur (*d*). Alii vero cum De Graaf paulo plus volunt (*e*). Quoad craſſitiem uteri, nec dum aperti, eodem fere modo, magis adhuc, prægnantis, differunt autores; parum forte refert quis verum dixit.

§. V. Subſtantia uteri quæ ſpongioſa eſt & vasculoſa, duas ſortitur membranas, cujus una externa communis, craſſa, utcunque lævis, a peritoneo orta, ſimulque tanquam in ſacculo uno inteſtinum veſicamque implicans; altera vero interna, propria ad fundum lævis admodum, aliquando villoſa, pertusaque exiguis foramina

(*b*) De Generat. Animal. p. 272. (*c*) De Graaf de mul. organis. (*d*) Winſlow Expoſit Anat. de la ſtructure du corps hum. Tom. 4. §. 590. (*e*) l. c. - - Haller. not. in Inſtit. med. Boerhaav. §. 664.

minulis, ſanguinem in cavitatem uteri diſtillantibus dum totus uterus compreſſus eſt. Hæc foraminula ſunt oscula tubulorum a cellulis ſeu ſinubus provenientium, per quæ ſuos effundunt liquores. Hi ſinus ipſius uteri ſubſtantiæ inhærent, & tum illi tum illorum canales, dum mulier utero gerit adeo diſtenduntur & augentur ut apicem minimi digiti jam admittere poſſint, quæ antea ne quidem ſtylum admitterent.

Ad cervicem vero hæc tunica interna valde rugoſa eſt & inæqualis, adeo ut plicas ejus tanquam valvulas deſcripſerit *Morgagni*; inter has plicas, æque ac in margine externo cervicis orificii adſunt parvæ lacunæ, per quas fluidum mucilaginoſum, os uteri poſt conceptum claudens, excernitur.

§. VI. Nervos a lumbaribus, ſacris, ſympatheticis maximis (vulgo intercoſtalibus) accipit uterus.

Lymphatica vaſa tunicas tantummodo a peritoneo expanſas irrigant.

Uteri arteriæ & venæ numero pene infinitæ ſunt, ſerpentino ductu prorepentes, ſine valvulis, a ſpermaticis, Hypogaſtricis, & Hæmorrhoidalibus ortum ducentes, inter ſe invicem in plexus reticulares mirifice unitæ, incurvatæ, intortæ, per anaſtomoſes communicantes, totum uterum ambientes, perreptantes, tandemque in innumerabiles ramos evaneſcentes, quorum fines, partim arteriarum & venarum continuationes fiunt, partim vero in ſinus & in cavitatem uteri aperiuntur, & ab eorum uſu vaſa exhalantia ac abſorbentia appellantur. Hi ramuli (nempe arterioſi) liquidum tenue continuo hic ſtillant; id autem quod in ſinubus collectum ſit, mora, diſſipatis ac reſorptis per venas partibus ſubtilioribus, mucoſum fit, poſtea per oscula antedicta excernendum. Rubri vero ſanguinis globuli non prius per eos transeunt, quam momento ſanguinis per plethoram aucto, hi ramuli diſtendantur; tunc quidem ſanguis floridus effunditur, qui purgationem menſtruorum conſtituit.

Vaginam rugoſam, utero paulo ſuper osculum connatam, ab illo membranam internam, porulis plurimis humorem blandum mucoſum ſudantibus, quo lubricatur, defenditur, & a concretione impeditur, perforatam, vaſaque ab omnibus fere iisdem truncis, ac cum iis uteri communicantia, accipientem; aliasque partes vicinas haud ita neceſſarias ut deſcriberentur, lubens tranſibimus.

In uteri deſcriptione jam data, duces habeo quamplures; Profeſſores fama celeberrimos; Anatomicos accuratiſſimos; medicos per-

perſpicaciſſimos. Inter illos vero fidem & attentionem meam præcipuam habuerunt, ipſe Medicorum Coryphæus, præſtantiſſimus Boerhaavius, in Inſtitut. Med.; Clariſſimi; Monroo in Act. Edinburg. Morgagni in adverſar. Anatom., Malpighi in epiſt. ad ſponium., Nortwyke in uteri hum. Gravid. Anat. & Hiſt. Winſlow Expoſit. Anat. de corps hum. De Graaf de organ. mul.

Sunt autem qui exiſtentiam ſinuum uteri dubitant, ut Eximius Nortwyke l. c. p. 112. & alii vid. Haller not. in B. Inſt. §. 664. & tales in homine eſſe in univerſum diſerte negat vir accuratione in rebus anatomicis nemini cedens Ruyſchius; cum quibus, propriis obſervationibus neque pugnare, neque ſentire poſſum, ſufficientibus deſtitutus. Sed auctoritate auctorum antea dict. fultus eos aſſerere auſus fui.

§. VII. De menſium profluvio variæ & diſſentientes ſunt autorum opiniones, horum examinationi hic nec licet nec lubet; ideo non niſi quantum refert ad ſubjectum illuſtrandum, de eo ſententiam noſtram proferamus.

Ex phyſiologia conſtat fæminas naturâ toto corpore molliori & extenſili factas eſſe; conſentit mobilitas generis nervoſi, diſpoſitio ad convulſiones, animi motus; caro tactu mollior; pulſus debilior; &c. Et ratio non minus evidenter patet; cum enim ita a natura determinatur, ut certis vitæ temporibus, uterus enormiter increscere, fætumque ſatis magnum tanquam novam corporis acceſſionem ex ſuo ſanguine alere debeat, haud ſanæ manere potuiſſent, ſi laxitatem partium abdominalium majorem ipſis natura dediſſet, reliquas vero partes æque robuſtas reliquiſſet.

§. VIII. Vaſa etiam fæminarum majora & debiliora vel laxiora ſunt quam virorum: hinc minuitur vis qua cordi reſiſtunt, incrementum fit velocius, citiusque ακμην ſuum adipiscunt. Hæc laxitas vaſorum imprimis ad pelvim, & prope originem vaſorum uterinorum inſigniſſima eſt; non enim ſolum truncus aortæ descendentis in fæminis, amplior eſt, ut Pitcairn (*h*) Friend (*i*) & le Fevre (*k*) habent; ſed ſingulatim in illis Aorta verſus Iliacas magis quam in maribus dilatatur. Denique arteriarum ex hypogaſtricis copia, & major eſt quam in maribus & valde magna pro portione uteri quem adeunt. (*l*)

§. IX. Corpora autem fæminarum a providente Creatore ita ſunt con-

(*h*) De flux. menſt. p. 154. (*i*) Emen. ch. 4. (*k*) Phyſiol. p. 169. (*l*) Pitcairn. l. c. Fitsgerald de catamen. p. 49

constructa; ut debito tempore, sufficiens sanguinis gigneretur copia, quæ, fæminâ utero gerente, non solum in prolis tenerrimæ alimentum cederet; verum etiam lacti, quo postea in lucem editus infans aleretur, suppeditamentum præberet; nec gravida vel lactante existente fæmina, singulis mensibus illa abundantia per uterum evacuaretur, nomine mensium, menstruorum, catameniorum &c. Hipp. sæpe vocat τα γυναικεια.

§. X. Incipit hic fluxus muliebris pubertatis tempore, in nostratibus a 2do circiter septenario ad 7mum usque, quod tamen variat, prout hæc vel illa serius vel ocyus ακμην adepta sit; aut aliam atque aliam servet rationem vivendi; fæminis enim opipare viventibus, ac otiose, genio nimium, nimisque maturè veneri indulgentibus, locisque calidioribus degentibus, corpus molle succulentum habentibus, his inquam menses copiosius ac citius fluunt, tardius periodum absolvunt, perque breviora intervalla redeunt; dum aliis aliter se habentibus, contraria fiunt.

§. XI. Plethora autem tunc temporis fit quia corpus ad ακμην profectum, vasa omnia eum possident statum, ut ulteriori augmento opus non habeant, & tamen vis ventriculi & viscerum χιλοποιητικῶν & αἱματοποιητικῶν de die in diem accrescat; hinc eadem saltem, si non major sanguinis copia elaboratur; quæ cum antea in corporis incrementum cederet, nunc accumulatur in vasis. Interim verum deprehenditur, eas longe minus perspirare quam quidem viri solent. Et plerumque sedentariam degunt vitam. His nunc addatur, quod per experimenta demonstravit, vir præstantissimus, maximæque sagacitatis, S. Hales; nempe in universum fæminas plus sanguinis quam mares habere (*m*); Et inter omnia animalia fæminam copia sanguinis excellere, ait Aristotle (*n*).

§. XII. Hæc nunc (§. VI. VIII. XI.) si vera sint, uti sunt verissima, constat, non posse non, quin hæc accumulatio fieret in vasis uterinis; quæ cum nunc duraverit per mensem, gravitatej & continua pressione ita dilatantur vascula uteri & vaginæ (§. VI.) ut superata resistentia sanguinem ipsum stillent, donec plethora imminuta sit, unde nimia illa pressione sublata, vasa, cum servent elasticitatem, plus se contrahunt, retinetnr sanguis, dimittitur crassior pars seri, tandem sola illa lympha consueta; hoc facto iterum plus conficitur humorum, facilius aggeritur in vias jam semel dilatatas & huic operi accomadatas, hinc eunt, redeunt, vario in variis

(*m*) Hæmastat. p. 12. (*n*) Hist. Animal. L. 3. C. 19.

variis tempore menſtrua. Ordinario vero recurrunt ſingulis menſibus, ſine ratione lunæ legibus habita, ut vult vulgare ſed falſum illud carmen,

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.

Triduum plerumque durat hæc evacuatio fæminis modice purgari ſolitis; hæc tamen differunt ob cauſas (§. X.) citatas.

§. XIII. Hoc tempore virgo viro matura, & ad concipiendum apta putatur: opus ſane potius admirandum, quam explicandum, ut viri maximi confeſſi ſunt; ergo de eo pauciſſima dicam. Ad hunc confertur a parte maris, Semen, liquor in teſticulis ex ſanguine ſecretus, & confectus, per vaſa deferentia in veſiculas ſeminales delatus, ibique aſſervatus, ſpiritibus dives, maxime elaboratus, corpori humano vigorem addendo aptiſſimus, quod ab effectibus ejus in corpore virili dum præſens eſt aut deficit, conſpicuum eſt; adeo ut hic liquor tramites totius, ſive organismum corporis humani in parvo puncto concentratum ſecum ferat, haud ſecus ac in ſemine plantæ, ſtructuram totius corporis vegetabilis, in quo ſubſiſtit, continente: poſt accuratam mediantibus microſcopiis inſpectionem, hoc virile ſemen animalculis exiguis, vivis, caudatis oblongis ſcatere ſiſtit Leeuwenhoek.

§. XIV. Principium vero a fæmina ſuppeditandum eſt ovum, conſtans liquore tenui, ad ignem concreſcibili, capſulis binis membranaceis concentricis, ſibi arctiſſime nexis, contento; hæc ova inferne per calicem craſſiusculum ipſi ſubſtantiæ ovarii ſunt concreta; quæ ovaria majora ac minora pro ætatis ratione obſervantur; in puellis parva, ſenſim majora, tempore prolificationis maxima, in vietis iterum diminuta; ovula autem poſt uſum veneris fere tantum eminentia apparent; & impregnari poſſunt, (introitu nempe unius in motu perſeverantis animalculorum (§. XIII.) in ea) vel in ipſo ovario, ut talia proſtant exempla; vel horum fit delatio per Tubam Fallopianam, quarum celluloſis receſſibus etiam inventi fuere fætus; vel denique ope lacertorum musculoſorum hujus tubæ propelluntur, inque uteri cavum dimittuntur; ubi ſemine maris accedente foventur, hoc vero abſente expelluntur, (*o*). Si autem ovum in utero impregnatum ſit; conceptu inde facto, clauditur illico internum uteri orificium, mediantibus ejusdem musculis & jugis membranoſis in cervice poſitis; obturatur copioſo

(*o*) Boerhaav. Inſt. Med. §. 671.

ſo ibidem exſudante humore lento & tenaci (*p*); hæretque præterea fætus intra ſuas membranas nunc nomine Chorion & Amnion gaudentes, in mediis continuo renovandis aquis, defenſus proinde ab omni preſſioni inæquali, & ab ingreſſu peregrinorum, quin & ſecluſus ab aëre externo, nondum a fætu hauriendo. Ex Calice ovi etiam nunc fit Placenta, ſubſtantiâ ſpongioſa, forte glanduloſa, in duplicatione Chorii involuta, vaſisque innumeris conſtans, quæ porulis deſcriptis (§. V.) inſeruntur, indeque formatur communicatio inter matrem & fætum, qua hic ab illa, nutrimentum (ni fallor) præcipuum haurit, dum utero includitur.

Sic videmus, animalculum quondam, crescentem demum & explicantem, ubi calor, motus, nutrimentum ſubtiliſſimum, locus denique aptus, ſimul ita conſpirant, ut latentes adumbratæ partes evolvi queant; nunc tandem verum homuncionem conſtituere.

Num funis umbilicalis, fœtus vel placentæ productio ſit; & quando nexus inter ſe mutuus formatur; quo denique tempore, corpori anima rationalis infunditur; de his verba ſane non faciam; illis autem qui doctrina pleniori valent, genio & otio aptis gaudent, vel quos tales disquiſitiones delectant, penſum hocce excutiendum lubenter relinquam.

§. XV. His ita dispoſitis fœmina vocatur gravida, in cujus ſtatus ſigna inquirere nunc poſtulat ordo.

Sæpe numero Medici a meritriculis aliisque hujus farinæ mulierculis, graviditatem occultantibus, tentantur, provocationem menſtruorum (ad procurandum nempe abortum, quod anxiæ annituntur) urgendo.

Quod neque in armeniis tigres fecere latebris;
Perdere nec fœtus auſa leæna ſuos.
At teneræ faciunt, ſed non impune puellæ;
Sæpe, ſuos utero quæ necat, ipſa perit.

Ovid. L. 2. amor. Eleg. 14.

Æquum enim eſt, necis artifices arte perire ſua: hinc

Quæ prima inſtituit teneros avellere fœtus,
Militia fuerat digna perire ſua.

Unumquemque ergo prudentem, conſcientioſum ac circumſpectum, medicum, eo ſolertius in cognoſcenda hujus ſtatus ſigna, incumbere decet, ut ſciat quæ vitare, & quæ contra medicamenta illæſâ conſcientiâ ægrotis his citra periculum præbere liceat; male

(*p*) vid. §. V. Nortwyke Uter. Hum. Gravid. Anat. & Hiſt. §. 4.

le enim facerent medici si ipsis omnem opem denegarent, tunc enim ad vetulas vel Empyricos confugerent, & ab illis opem quærerent; qui ipsas nonnunquam per violenta & drastica medicamenta cum fœtu in evidens vitæ periculum conjicere possunt: hinc ergo dissimulare debemus, nos illarum dolum & astum percipere, & fingere ipsis ad menstrua aliquid daturos, quod autem non nisi post longius temporis intervallum effectum demonstrabit, (habet enim medicina stratagemata sua, piæque hæ fraudes huic facultati permissæ sunt) interea quæ pro confortando fœtu & abortu præcavendo revisa fuere, ordinanda; sic deinde minus metuendum erit de efficacia, si forsan aliunde aliquid nactæ fuerunt.

§. XVI. Signa graviditatis ut difficillime, si aliis simul morbis ex graviditate ortum non ducentibus, ut v. g. hysterica passione, hydrope ascitide mensium suppressione concomitante, laborant, distinguantur; sic facilime cognoscuntur, si modo absint morbi, qui extra impræ̃gnationem etiam oriuntur. Primaria tamen signa, quibus in omni casu, ut puto, confidere possumus sunt hæc sequentia, si nempe conjuncta appareant. (α) Constitutio mulieris ad concipiendum idonea, quæ a parentibus fœcundis nata. (β) Si semen post concubitum retineatur, nec excidat. (γ) Si obstetrix, orificio uteri interno tactu explorato, idem exacte clausum, & rostrum catelli recens nati representans; invenit: Contingit quidem ptopter schirrum vel inflammationem &c. os uteri comprimi, sed id dignoscetur loci duritie, & dolore, cæterisqne signis tales morbos concomitantibus. (δ) Suppressio menstruorum cum subsequentiis fastidiis, nauseis, vomitibus, aliisque de quibus postea mentionem faciemus; hæc symptomata grandescente fœtu sensim omnia minuuntur, tandemque evanescunt. (ε) Tumor abdominis, qui sensim increscit, & ab imo ad summum protuberat, nullis morbi alicujus præsentibus signis. (ζ) Motus fœtus in utero, qui accidit plerumque circa medium gestationis temporis; hic in principio subsaltorius, postea vero fit magis manifestus, lenis, blandus ac ordinatus, quem manus calens imposita animadvertere potest; in quibusdam citius in aliis tardius percipitur. (η) Sensim quoque mammæ augentur, papillæ rubescunt, pruritu tentantur, & circulus eas ambiens magis fuscus redditur, tandem majori sanguinis copia affluente, lac in mammis colligitur, illudque aliquando reddunt. (ϑ) Urina sanæ similis apparens, pro conceptionis nota tunc temporis etiam aliquo modo haberi potest; in aliis enim morbis, urinæ plerumque crudæ, vel aliter mutatæ appa-

parent. Simul juncta inquam hæc debent esse, vel saltem præcipua horum, aliàs probabilia quidem, non tamen absolute vera & conclusiva sunt.

Nam v. g. a deficientibus menstruis, impræ̃gnatio statim non est predicanda, quia in multis honestis & illibatis personis accidere solet; & quando ex morbifica causa cohibentur, symptomata augentur indies, non mitescunt nisi revocata solita purgatione, ideo *Hipp. si mulier non sit menstrualis, neque febri neque rigore superveniente, & fastidia cibi incidant, judica ipsam in utero habere* (*q*); sin autem symtomata mensium suppressionem concomitantia, 3tio. mense minuantur & tandem omnino evanescant, quæ si interrogatæ, annuunt, simul color faciei ac appetitus restituti fuerint, magna & justa impræ̃gnationis suspicio adest. Ab hac etiam suppressione morbifica, Hydrops sive Uteri sive abdominis ascites; & proinde tumor ventris supervenire potest; qui difficile aliquando ab ipsa graviditate distinguitur, multisque imposuit medicis; si autem palma manus unius alteri abdominis lateri imposita, dum digitis alterius manus, oppositum latus percutiatur, fluctuatio sentitur, certissimum præbet hydropis signum, præcipue si eodem tempore mammæ fiunt minores & flaccescunt; tumor ventris non ad summum protrudit, neque color faciei vividus & vegetus adest. Lac etiam in mammis, a suppressione mensium, jam olim anotavit *Hipp.* (*r*).

§. XVII. Præter hæc signa (§. XVI.) dantur aliquando quædam peculiarissima, quæ in quibusdam mulieribns ex peculiari ἰδιοσυγκρασία eveniunt, quæque ipsis quidem certa ac infallibilia sunt; sed quia sunt particularia non de omnibus testantur; e. g. Quædam mox quando concipiunt mane horride vomunt; aliæ libidine pruriunt, sed facta conceptione ardor videtur extinctus, *Panarolus Pent.* 3. *obs.* 9. Narrat *Idem* exemplum de muliere, quæ quoties fuit gravida, venam circa genu insigniter tumidam habuit. Et extant exempla de mulieribus, quæ nunquam menstrua passa sunt nisi gravidæ. &c.

§. XVIII. Præsente nunc graviditate, magnam secum trahit catervam morborum quæ fere omnia eo periculum inducunt quod ad abortum tendunt, quocum causas plerumque communes habent, neque multum differunt in curatione; hoc ergo rite exposito, illi minime latebunt; hinc abortum, quasi summum malorum

(*q*) Aph. 61. L. 5. (*r*) Id Aph. 39.

rum omnium quibus affectæ sunt gravidæ, discutere totam navabo operam; & ne extra limites opusculi hujusce generis vagarer, reliquos vel in tactos relinquam, vel leviori calamo percurram.

Brevitati Institutæ nequaquam congrueret, si omnia hujus morbi nomina, variasque distinctiones, a diversis medicæ scriptoribus, huic pro vario tempore post conceptum accidenti aliisve circumstantiis consignatas, inserere conarem: qui cupiunt, consulent And. Laurent., Hoffman, &c.

§. XIX. Quamvis proprie tenuitatis conscius, probe noverim, quam parum valeat in re tam gravi, meum testimonium; opinionem tamen offerre mihi liceat. Ab omnibus rite quantum potui consideratis, mihi placet, ABORTUM esse fœtus immaturi in lucem editio, quocunque tempore fieret, post conformationem, & antequam capax ferre aerem externum existit, vel ingesta necessaria elaborare, & in naturam sui corporis convertere, potest; quacunque demum causa hæc concitatur & commovetur.

Absoluta jam definitione, ad causas excitantes nosmet accingamus. Et hic nullo modo impar erit observare, quasdam esse, quæ, aliis expositis, facilime intelliguntur, ideoque plus quam enumerationem harum supervacaneam fore. Utinam mihi datum fuisse par voluntati otium & ingenium haud impar, tum alias forte fusius tractassem.

§ XX. Abortus varias agnoscit causas & a Matre & a fœtu. A parte Matris, peccantibus *fluidis* vel *solidis*. Fluida *quantitate* & *qualitate* peccant. Solida autem ob *rigiditatem*, *laxitatem*, *malam conformationem uteri*, *partiumve vicinarum*. A parte fœtus *situs malus*, *pondus &c.*

His addi possunt quædam accidentia, quæ aliquando haud sine magno periculo gravidis eveniunt abortumque producunt; qualia sunt postea enumerabo.

§. XXI. Ad vitium humorum quantitate peccantium spectat copia nimis adaucta vel diminuta.

Gravidas non raro nimia quantitate sanguinis i. e. plethora laborare, & a priori & posteriori facillime probatur. Cum autem hæc causa hoc aliisque morbis gravidarum producendis reliquis antecellit, & sine qua illæ parum valent, in animo est paulo minutius de ea agere. Sciendum tunc est, quod, facta ingravidatione non fiat sanguinis menstrui evacuatio; nam licet eadem & chyli & sanguinis copia elaboretur, idemque detur locus ubi colligitur, tamen aliquid licet parum a fœtu consumatur, & pro secun-

dinis impendatur, hæc enim plus incrementi capiunt primis menſibus quam ipſe fœtus; Comſumptio hæc augetur de die in diem, ita ut primo menſe copia non erit tanta ac ſi non fuiſſet gravida: tamen quando primo vice fluere debuiſſent, ſi non fuiſſet imprægnata, quosdam patitur dolores in locis conſuetis, nec mirum; omnis enim ſanguis nondum a fœtu conſumitur, unde quædam quidem arietatio in hæcce vaſa, verum non tanta ut capax ſit elasticitatem eorum ſuperare, & per conſequens ſanguinem per illa loca expellere.

Sed ulterius proſequamur gravidam usque in 2dum conceptus menſem, videbimus eam conqueri de dolore immani & lancinante circa easdem partes; non mirum revera: fœtus enim tam parvus exiſtit paucoque indigeat alimento, ut tanta ſi non major ſanguinis copia fuerit collecta, quam quidem primo menſe, ſi non fuiſſet gravida; preſſio ne foret eadem verum, provida natura duce, portio quædam ad placentam pellitur; Cum vero omnis ſanguis ob tenellum fœtum, & vaſa non ſatis ampla, ibi nondum contineri qneat; portio alia reiterat arietationes & preſſiones in vaſa ſe deplere conſueta; hæ vero non ſunt tantæ ut omnium elaſticitatem ſuperent; minorem vero quorundam utpote minus reſiſtentium ſuperatur elaſticitas; unde hæc vascula quasdam paucas guttas transcolant, certo plane argumento, quod plethora adſit, verum quæ vis allata diminuta.

Porro tertio menſe elapſo non tanta fit preſſio vel arietatio, unde tum non ita frequenter fiunt abortus; In promptu eſt ratio; vaſa enim uteri tum plus ſe accommodarunt ad omnem ſanguinem accipiendum, & in bonum fœtus conſervandum, qui hoc tempore liberaliori indiget alimento; quo enim fœtus plus increſcit, eo uterum plus diſtendit; quo uterus plus diſtenditur, eo plus accreſcit in mole, & omnia vaſa fiunt ampliora. Hinc abortus ſunt rari poſt tertium menſem, niſi a cauſa violenta.

A poſteriori plethorem indicant, innumeræ pene obſervationes V. Snis. largiſſimæ & frequentiſſimæ (imo ad 40ſies. (s)), Hæmorrhagiarum, aliarumqne evacuationum, hoc tempore multoties in magna copia, ſalvo tamen & fœtu & matre, factarum; imo tam notoriæ ut ſuperfluum eſſet exempla adducere.

Plethora autem dignoscitur (ſi ſola ſit) per pulſum magnum, ple-

(s) Vander Wiel Obſ. 66. cent. 1.

plenum, & fortem, colorem floridum, tumorem venarum, sensum plenitudinis, & non raro per eruptionem sanguinis ex naribus, faucibus, & aliquando ex vaginæ vasis, quod bonum. Si ante conceptum, subjecta fuit fœmina magno profluvio mensium, magis nunc proinde eminet periculum.

§. XXII. A sanguine adaucto quomodo producitur abortus ex jam dictis (§. XII.) constat, nempe distensione vasorum uteri & placentæ, unde ita a se invicem recedunt ut soluta continuitate, oriatur fluor uterinus magnus, qui si aliquandiu durat, producit fœtus immaturi exclusionem i. e. abortum.

§. XXIII. Hac eadem causa, nempe plethora, alita, plurimorum symptomatum mater deveniat (qui tanquam novi morbi considerari queunt) ut sunt *Anhelatio*, *dyspnea*, *anxietas*, *animi deliquium*; *nausea*, *vomitus*, *prostratus appetitus*, *urinæ suppressio*, *varices*, *Inflatio pedum*, *uterinorumque labiorum*; *vertigo*, *dolores stomachi*, *inguinum*, *renum*, *mammarum*, *partium gravitas*, *fluor uterinus* &c. quæ omnia symptomata & adhuc alia varia, a sola plethora dependentia, primis plerumque mensibus graviditatis contingentia, prout ab una eademque pendeant causa, eodem etiam remedio, sanguinis nempe missione, tolli vel præcavere debeant; hac enim ratione tristis abortio, aliaque quæ gravidis invadunt incomoda egregie avertuntur, in qua instituenda, tempus, locus, & copia maxime advertenda. *Tempus* esto præprimis 2do vel 3tio a conceptu mense, vel octiduum ante quando si non fuisset gravida 2da vel 3tia vice menses instarent; præcisum tamen tempus determinari nequit, urgente enim necessitate notata per violentiam symptomatum, omni tempore licet instituere etiamque repetere; hoc præcipue notandum est de illis quæ semel abortierunt, utpote quæ crebrius in idem malum incidunt. *Locus* sit semper in brachio; in pede enim instituta V.S. magnam & subitaneam nimis producit revulsionem, quæ summopere metuenda, nam si ullibi, revera hic loci verissimum est, quod omnis subitanea mutatio sit pessima. *Copia* determinatur prout fœmina plus minusve fuerit plethorica, prout vires plus integræ perstant, & symptomata sint vehementiora; porro primis mensibus plus licet detrahere quam mediis vel ultimis; verum necessitate urgente etiam tunnc larga copia est evacuanda. In gravida vero tenella non ita tuto secatur vena, si tamen symptomata nullis remediis superanda urgeant, non omittenda est, caute vero & moderate fiat.

§. XXIV. Si prægressa fuere sanguinis aliorumve humorum ni-

miæ evacuationes, ut e. g. post menstrua nimia copia fluentia, post assumptum purgans, dysenteriam, vomitum, ac hæmorhoides largiter fluentes; porro si fœmina morbo diuturno antea fuit exhausta, vel si a natura est admodum tenella & exsucca, talis si fœmina gravida redditur; vel licet sana ac vegeta extiterit ante impræguationem, si tales sensibiles evacuationes nimia quantitate, ipsa jam impræguata, fiunt, peccans adest imminuta sanguinis quantitas; sic gravida ex nimio sanguinis profluvio mortua (*t*), & passim multa talia exempla adfert *Mauriceau*, in suis observ.: proinde vero multa mala fiunt; laxat enim solida, hydropem, tumorem œdematosum, cachexiam, tabem, hystericam passionem, convulsionem, singultum & varia alia ex defectu humorum provenientia, sed præcipue in gravidis animi deliquium, fluorem uterinum, abortum producit; teste *Hipp.* (*u*). Quomodo autem vel qua ratione his efficitur abortus, in promtu est; nam propter habitum teneriorem & laxiorem, vix queat mater ex alimentis talem quantitatem boni chyli conficere, ut sufficiat ad sui ipsius nutritionem: & per magnas evacuationes, corpus non solum humoribus jam elaboratis & ad nutritionem aptis orbatur, debileque & laxum redditur, verum etiam inde ad alios humores nutritivos conficiendos ineptum evadit; impedita enim ingestorum assimilatio in naturam liquidi vitalis sani, debetur jacturæ nimiæ humoris boni, & inertiæ virium solidorum in liquida (*w*); porro inde partes uteri laxiores ac magis lubricæ redduntur; unde duplici ratione ab hac causa metuendus est abortus, nempe vel moriatur fœtus propter defectum alimenti, vel excludatur propter laxitatem partium continentium.

§. XXV. Curatio consistit in ablatione causæ, quæ obtinebitur (*α*) nutrimento boni succi facilisque digestionis, parvâ copiâ sæpe repetitâ, sumendo; (*β*) iis quæ fibras vasorum nimis flaccidas roborare valent; (*γ*) quæ fibras stimulando vasa inertia & humores stagnantes movent: quia vero simul cum defectu sanguinis plerumque vitiosa qualitas peccat, hinc prius accurate indoles propria humoris vitiosi, qui in ægro prædominans peccat, examinanda est, tum enim eligenda est ea materies cardiacorum, quæ opposita sit illi detecto vitio; quænam vero hæc sint, & quibus cautelis adhibenda, Lege, in elegantissimo Boerhaavii capite de cardiacis in Inst. Med.; pauca adferam: Nutrimenta talia sunt, panis bene fer-

(*t*) A. N. C. Dec. 3. A°. 7. obs. 76. (*u*) L. 5. Aph. 44.
(*w*) Boerhaav. Aphor. 25.

fermentatus, Biscoctus, lacticinia, jura carnium juniorum animalium, facta cum hordeo, oryza, scorzonero, apio, Endivia, lactuca &c. cui adde aliquid macis, & 1 vel. 2os vitellos ovorum, sumant omni quadrantis horæ spatio cochlearia duo vel tria; conveniunt hic potus ex aqua hordei cum aq cinnam. succ. citri & pauco saccharo & aliquot unc. vini, parati; cerevisiæ crassæ, vina hyspanica, canariensia, &c. parva copia data. Instituatur etiam lenissima deambulatio post assumptum cibum; omnia enim viscera tunc melius suo funguntur munere; vitent omnes & corporis & animi motus vehementes.

§. XXVI. Procedamus nunc indagare quænam sunt vitiosæ qualitates humorum quibus gravidæ sæpe laborant, & quæ causæ abortus fieri possint. Hæ sunt Visciditas, Tenuitas, acrimonia.

Non opus est hic impendere verba, quomodo Lentor seu visciditas sanguini inducatur; sed me satisfacturum arbitror, si demonstravero quasdam hujus effectus, signa, curationem, etiam quo pacto hinc abortus produci queat, ut præcaveatur.

§. XXVII. Humores viscidi in corpore nostro nati, actione circulationis (plerumque nunc temporis debili) difficilius solvuntur, partes ejus tenacius cohærent inter se, & cum lateribus vasorum, & accumulantur in minutissimis vasculis; multa ab hinc eduntur phœnomina, quæ utpote facile intelligibilia, brevitatique studens cuncta non explicabo; sed plurima solummodo repetam: ob infarctionem pulmonum oritur *anhelitas*, *dyspnea*, *anxietas*; hæc ultima etiam interdum jecori male se habenti originem debet; in ore colligitur *multum viscidi* circa dentes, in faucibus, mane os pituita plenum, facies & palpebræ *tumidiores*, *pallidæ*; ventriculus a pituita oppletus, *tumet*, *inflatur*, *nauseam & vomitum* patitur; a minima assumptione implentur, massa enim hæc viscida quasi fermentat, & quia aëris bullulæ excitatæ difficulter sese extricant, hinc tota massa intumescit; inde *flatuum eructatio multa* sine levamine: In intestinis sic accumulatur, *venter inflatur*, fiunt *murmura*, *flatus*, *borborygmi*, *crepitus*; Bilis, succique pancreatici saponacea vis extinguitur; hinc ingesta, quia simul tonus ventriculi ac intestinorum maxime debilitatus est, non mutantur in bonos ac laudabiles humores, verum singula propriam suam naturam sequentia, variæ & oppositæ acrimoniarum species producantur; *unde prostratus iterum appetitus*, *cibique fastidium*, *cardialgia*, *pica malacia*,

Βελίμος, Κοροῆκις &c. hujus absurdorum appetitus mira extant exempla (*x*).

In sanguine existente viscidate; *tardiorem circulationem*, *colorem pallidum*, *frigus gravitatem*, *solidorum laxitatem ac inertiam*, *leucophlegmatiam*, *ædema pendentium*, *secretiones & omnes excretiones tardiores*, *viscidiores* producit; hinc *Urina alba*, *cruda*, *contentis saturata*, vel *pallida*, *tenuis*; *incessus tardior*, *sedendi ac decumbendi amor*, *pigritia*, *sensuum torpor*, *somnolentia*, *incubus*, *vertigo*.

§. XXVIII. Notum nunc est, ut fœtus in utero materno sanus sit, requiri, ut alatur bono & laudabile alimento; Impossibile autem foret, illum haurire posse bonum alimentum, cum mater ipsa nunc eo destituitur; deficit enim vis viscerum matris, imo aliquando ita pica laborat, ut absurda plane appetat, quæ minime in bonum chylum, multo minus in bonum sanguinem converti possunt; hinc ea vel indissoluta manebunt, vel suam propriam servabunt indolem; hincque quo minus laudabile alimentum a matre assumatur, eo major oriatur humorum a statu sano abalienatio; fœtus fit debilis, destituitur namque bono alimento; unde moritur, & tum statim ejicitur, quod in hoc casu tum optimum; vel per multum temporis retinetur & corrumpitur; unde tum matri maxima & incurabilia patrat mala.

§. XXIX. Curatio perficitur (1) Evacuantibus (2) Resolventibus (3) acrimoniam corrigentibus.

1. Si in ventriculo hæreat collectum viscidum, præstat saburram educere, hinc bibant incidentia & lenitur sursum moventia, postque singulum vomitum haustum aquæ callidæ assumant, donec sponte cessat; dein curatio ulterius peragenda, stomachicis, amaris, Roborantibus. In intestina delata pituita inde expellenda purgantibus mitioribus, eccoproticis, requiruntur ergo talia quæ leni saponacea vi ac roborante prædita sunt, ut Manna, Cassia, tamarindi, myrobalani, pruna acido dulcia, Rheum, senna; cum his, aliquamdiu pergendum, ut alvus lubrica servetur; maxima vero cum cautela adhibenda sunt & hæc & vomitoria, nec unquam (si plethora adsit) proferenda, sed post V. S. institutam; & si turbationes aliquæ ab iis excitantur, opiatis sedentur.

2. Materia viscida plerumque generata in sanguine, cæterisque humoribus circulantibus, quod minor actio solidorum; Indicatur er-

(*x*) Vid. Tulp. l. 2. c. 24. Mizaldi memorab. cent. 1. obs. 28. Id. Ibid. cent. 7. obs. 78.

ergo illam actionem & dependentem circulationem esse adaugendam; nec minori cautela hoc peragendum; illa enim lenta diuturnaque stagnatione inviscata materies non potest unico quasi momento in fluorem redigi. Ut igitur periculum & maxime quidem in gravidis, evitemus, media insistenda est via; a lenissimis incipiendum ad fortiora pergendum: illa medicamenta petuntur ex attenuantibus, saponaceis, amaris, aromaticis; instituantur frictiones cum pannis asperis fumo aromatico, aut spirituoso aspersis. Porro evitandæ sunt omnis causæ viscidum producentes; potus & cibus sit bene fermentatus, aromaticis conditus (§. XXV.); aër siccus, serenus, apricus, modice calidus eligendus; corpus nunquam in otio torpeat, sed levi motu exerceatur; neque somnus neque vigilia modum excedant.

3. Hoc fit ingerendo talia liquidis peccantibus contraria, sed hoc obtinere multum facessit negotii, ut enim corrigatur noxium, cognoscenda est diversorum horum natura, & extinguens antidotum; varia talia prostant quæ vel ex morbo vel ex vitiato humore nomen habentia, vocantur antacida, antialcalica, antiscorbutica, antihectica, antipureton &c; hæc si explicarentur nimium occuparent spatium, hinc ergo singuli horum tituli apud materiæ medicæ scriptores evolvendi ac inspiciendi sunt.

§. XXX. Nunc differendum est de causa hujus morbi altera in vitiata qualitate fluidorum existinte, scil. *Tenuitate* nimia fluidorum.

Occulatissimus *Leewenhoek*, vir incomparabilis industriæ in his indagandis, experimentis sedulò & accuratè factis, evicit, globulum unum cruoris rubri ex sex serosis tantum constare, hos ex sex lymphaticis, & sic deinceps donec ad globulos perveneris, qui suâ parvitate omnem captum fugiunt, & tandem in incredibilem adeo subtilitatem abeunt quæ omnem omnino imaginationis vim exsuperet. Hi globuli haud ita arcte uniuntur, quin sponte separentur, si solida, quæ sunt instar vis comprimentis, nimis inertia fiant; nam quo debiliora vasa fiunt, eo tenuiores humores facti sunt: sanguis enim solâ efficaciâ vasorum compingitur; quâ deficiente, globulis tardius motis, certè fiet eorum divisio in globulos minores, ex quibus componuntur: inde fluida plasticam suam naturam, propriumque cohæsionis gradum, amittunt, fit colluvies serosa, dissolutio, & nimia liquorum attenuatio; qui quando propria crassities abest, nimis copiose in vasa lateralia derivantur, hinc per arteriolas uteri evanescentes (§. VI.) transeunt, inque cavitatem ejus stillantes, nexus placentæ solvitur, & inde fiat fluor uteri-

rinus, posteaque abortus. Sphærularum hanc humorum separationem, qua sanguis rubore suo, & alii coloribus propriis, privati sunt, dissolutionem vel attenuationem secundum causas dicimus. Ad hanc vero haud minimum conducit, nimius usus aquosorum, quæ simul diluunt & relaxant; & Attenuantium proprie dictorum, vel victuum vel medicamentorum, quæ particularum suarum figura vel rigiditate, cohæsiones globulorum dividunt; sed quæ parum valent nisi diluentibus juncta sunt. Si nunc in gravidis tales etiam concurrunt causæ, quibus inferiora laxantur, & eo sanguis attrahitur, quidnam mali non expectandum est. Hinc merito damnandus est mos ille deterrimus ignem pedibus perpetim supponendi, dum quotidianis ingurgitationibus Theæ Coffeæque impletur corpus, præcipue si eodem tempore adsit habitus mollior, multumque otii; de quibus ait magnus Boerhaav. se novisse quasdam, quæ vix integra septimana a mensibus liberæ fuerunt; & ipse monet quod nisi ad labores redeant, 4simo Anno ætatis Hydropicæ pereunt; & si conceperint plerumque abortiunt. (*)

Hæc eadem vivendi ratio, cum eodem tempore plagas humidas incolunt, magnopere ad fluorem album producendum confert; & hoc confirmatur abhinc, quod sæpius accidit opipare & otiose viventibus, quam iis quæ labore exercentur, & victu duriori utuntur; & ni fallit historia, medico in hac urbe ingeniosissimo, mihi communicata, confirmationem dant fœminæ Batavæ, præcipue incolæ Amstelodami & viciniorum, utpote quæ multum hoc morbo laborant. Abhinc etiam fiat sterilitas, immediate nempe uterum humidum reddendo, ut Effatus sit Hipp. (+) vel mediate per frequentes abortiones uterum laxando; cujus ultimi veritas jam diu patuit.

Vis etiam attenuantium hocce in casu minime dubitandum est; ego ipse, solo usu *flor. sulph.* cum *melle* pluribus diebus repetiti, talem vidi fluorem uterinum, fœminæ generosæ accidisse, nempe in principio 7mi. mensis, ut cito abortierit, nec sine ultimo periculo evaserit.

§. XXXI. Curatio absolvitur talibus quæ sanguini suam densitatem restituunt, solida laxata roborant; ad quæ nil magis conducit, quam medicina Gymnastica, frictiones &c. de quibus antea; Quæ

(*) Vid. Haller. not. in Inst. Boerhaav. vol. 6. p. 93. (†) L. 5. Aph. 63.

Quæ aquoſitatem ſanguini inducunt, ſub titulo victuum vel medicaminum, vitare; contra vero victu maxima nutriendi facultate prædito, itaqne preparato quod vix actione corporis indigeat, ut in nutrimentum abeat, attamen non cito putreſcente; medicamentis incraſſantibus, ſubaſtringentibus, roborantibus, uti, debemus. Confer §. XXV. & XXIX. 2.

§. XXXII. Antequam ad vitia ſolidorum tranſeo, parumper liceat hic de vomitu in initio gravidationis ſuperveniente agere, qui tunc temporis nil niſi ſymptoma eſt, (nec multum metuendum) a Conſenſu partium & menſtruis non fluentibus ortum ducens; ſed ſi nimis diu protrahitur, ſtomachus debilitatur, digeſtio ſpoliatur, humores corrumpuntur; mater & fœtus alimentis privantur, unde omnia ſolida, & viſcera & vaſa, laxa fiunt, & fundamentum mali habitus fœtui ſtruitur; ſanguis non reficitur novo confecto chylo, hinc magis adhuc propriam ſuam ſequitur indolem, lenteſcit nempe & viſcidus fit, vel tenuis, & ad putreſcentiam vergens. Si ergo ultra 4tum menſem durat hoc moleſtum ſymptoma, omni cura ſedandum eſt: quomodo vero hoc faciendum eſt ex jam dictis patet.

Quomodo ſanguini inducitur acrimonia (§ XXVI.), quid ab hujus ſtimulo metuendum eſt, & quævis requiritur curatio, prædictis (a §. XXIV. huc uſque) perpenſis, facile patebunt.

§. XXXIII Perluſtratis nunc morbis, abortum minitantibus, vitio fluidorum productis; ad alteram partem, vitia nempe ſolidorum, breviter me accingam.

Solida tunc ſunt in cauſa, (1) Quando ob *nimiam rigiditatem* uterus partesque vicinæ ſine ruptura expandi nequeunt; cognoſcitur hoc, ſi mulieres carnem duriorem habent, ſi parce purgari ſolent, ſi tota vita multum laborarunt, uno verbo ſi toto habitu viragines exiſtant, vel ſi forte ætate nimium majori quam par eſt (pro prima vice) conceperint. Hinc fœtus incrementum Debitum non acquirit, verum moritur, vel monſtroſam adipiſcitur formam, hincque expellitur. Hi caſus præviniri debent laxantibus; aquoſis nempe, mucilaginoſis, humectantibus, oleoſis &c. tum interne quam externe diu adhibitis. Præterea huc referatur Uterus ſcirrhoſus vel male conformatus, v. g. Bipartitus; & ſic etiam peccant partes vicinæ, quando male ſunt diſpoſitæ, ut luxatio vertebrarum lumbi, pelvis cavitas nimis arcta &c.

2. *Si ob laxitatem nimiam*, partes minimo motu & pondere tam facile dilatantur & cedunt, ut intus contentum fœtum retinere nequeant;

queant; Cognoſcitur ſignis ac curatur medicamentis contrariis prioribus (§. 33. 1.) vid. §. 24. 25. 27. 28 30.

§. XXXIV. Nunc aggrediamur ad fœtum; & ipſe procreat abortum, quando ob malum ſitum, fune nempe umbilicali collum vel corpus varie circumdato, vel ob brevitatem ipſius funis, placenta, adhæſione disruptâ, avellitur, hincque producitur fluor uterinus non ſiſtendus, niſi & fœtum & ſecundinas educendo. Porro ultimis menſibus, fœtu. placenta, contentis in amnio & chorio humoribus, magnitudine, pondere, & quantitate auctis; Uterus ſine decremento craſſitiei ſuæ mire extenditur, aſcendit, remotis inteſtinis, ſuperiora ac interiora verſus, functionibus partium proxime adjacentium, impedimento eſt, illasque premit, hinc origo ſymptomatnm multorum nullo modo permanente graviditate radicaliter curandorum, poſt partum vero facile cedentium; Hæc ſunt *dyſpnea*, *vomitus*, *urinæ ſuppreſſio*, *alvi duritiés & tarditas*, *hæmorhoides*; *&c.* In quantum vero vehementia abortum minitant, imo ab eo folo periculum ſuum trahunt, atque attamen, aliquo modo, leniri poſſunt; quomodo hoc fiat, explicatis his ſingulis addam.

Dyſpnea, fit quia Uterus aſſurgens in abdominis cavo omnia contenta abdominalia ſurſum premuntur, unde magna reſiſtentia oritur diaphragmati, quod hinc in inſpiratione eousque non poteſt cedere in abdomen, ut cavitas thoracis augeatur ad ſufficientem aëris copiam per pulmones hauriendam; hic affectus ſi ullam admittit medelam, obtinetur, quieta manente ægra, & ſtricte evitet quæcunque paſſionem metus Excitarent.

Vomitus. hic etiam fit, quod preſſis viſceribus abdominalibus ſitu ac mole uteri, eorum motus periſtalticus ſit inverſus; talem etiam vomitum inormen ob ingentem fœtum 8vo geſtationis menſe notavit Mauriceau; nil hic iterum radicaliter agendum eſt, quieta ſe modo teneat ægra, & decumbat potius quam ſedeat, parva copia ſit dieta, potiusque ſæpe repetita; interim urgente illo ſymptomate ſubinde aſſumat aliquid vomitum compeſcentis remedii; externe etiam adventriculi regionem roborantia ſtomachica applicari poſſunt.

Urinæ frequentia, *ſuppreſſio*, *ſtranguria.* Hæ affectus inde fiunt, quod veſica immediate utero incumbens, illa ab utero fœtu repleto, & expanſo, premitur in minus ſpatium, quo fit ut pro more expandi nequeat, ac ſufficientem lotii copiam continere; hinc fit ut quo magis augetur graviditas, eo crebrius urinam emittere cogantur; porro quia uterus aſcendit in abdominis cavum, ibi comprimit

mit renes ac ureteres, ita ut tam parca copia urinæ ſecernitur, & ad veſicam fertur, ut vim ſphincteris ſuperare nequiens, diu ibi ſtagnando acrimoniam ſuſcipit, qua mucus veſicam obliniens detergitur, & illam vellicando, ad expulſionem ejus frequentiorem, ſtrangurioſam, ſæpeque incaſſum, excitatur. Aliquando etiam accidit ut poſtremis menſibus gravidationis, pondere uteri & contentorum, vel fœtu inverſo, & capite ſuper oſſa pubis fixo, ita premitur collum veſicæ, ut impediatur urinæ excretio; fortis vero aëris inſpiratio & retentio quæ quaſi antagoniſtæ ſphincteris veſicæ ſunt, locum in gravidis non habent. Omnia quæ in his caſibus fieri poſſunt, in eo conſiſtunt, ut ægra lecto ſe tradat ac decumbat, ſic enim veſica liberatur ab illo pondere; adhibeantur formenta renibus, & pubi applicentur, ex lacte tepido, aut decocto herbarum emollientium, & refrigerantium, malvæ, altheæ, violar, parietar:, cum pauco ſem. lini; eorundam infuſiones ingerantur, quatenus ad mucum deterſum reficiendum, acrimoniam vero obtundendam, aptæ ſunt; propter vicinitatem poſſunt etiam clysmata foventia, ac laxantia injici, ut urinæ ſecretio melius peragatur; his non juvantibus ad ultimum præſidium deveniendnm eſt, immiſſionem ſcil. catheteris, qui inunctus oleo, in veſicæ fundum, immittendus eſt, cujus ope urina illico exitum habitura eſt, ſin ſuppreſio redierit ad idem auxilium recurrendum erit, donec accidentia fuerint.

Alvi durities & tarditas. Ab uteri enim nimia extenſione, æque premitur rectum inteſtinum poſterius ac veſica Anterius, hinc in eo accumulantur fæces, & omne quod adhuc liquidum in iis ſupererat, per vascula abſorbentia amittunt, unde non niſi ſolæ craſſæ remanent; ſi hisce nunc addideris, quod viæ non ſunt lubricæ, quod ob ſanguinis visciditatem, glandulæ Peyerianæ non ſecernunt liquidum, naturali ſimile, quod Bilis laudabilem ſuam qualitatem ſaponaceam amiſit, & quod hinc inteſtina ſuo clysmate naturali carent; clariſſime patebit, cur fæces craſſiores, & majori vi, ut excernantur, egent: Eam in rem victus ratio idonea admodum confert, in uſum adducendo cibos, humectandi vi præditos, & inteſtina lubricandi, ac fæces emolliendi, utatur ergo gravida, jusculis juriorum animalium, oleoribus humectantibus, prunis, pomis, coctis &c; alvi laxitatem, ſi ope diætæ procurare ſibi nequeat, admittat clyſterem emollient: ac laxantia medicamenta; caveat vero medicus a ſtimulantibus, ne alvo nimis moto lethalis oboriatur diarhæa, annotante Hipp. (*y*); ab altera parte proſpiciat ne alvo

(*y*) Lib 5. Epid. —— vid. Celſus lib. 2. ch. 7.

vo nimis adſtricta, fiat tenesmus, & hinc abortus, juxta Idem Hipp. (z).

Hæmorrhoides. Ab utero incumbente, craſſisque fæcibus, venæ ab utraque premuntur, reditus ſanguis impeditur, earum latera ab extendente ſanguine protuberant, hinc fiunt hæmorrhoides cæcæ, quæ diu darantes, disruptis repagulis, abeunt influentes: in priori ſtatu, foveantur emollientibus, ut laxentur, poſtea applicentur hirudines, vel fricentur foliis ficus, ut ſanguis eliciatur, qui fluat donec ſponte ſiſtatur; ſi vero aliquid contra indicant, V. Gr. animi deliquium &c, ob nimiam copiam amiſſam, ſtatim ſiſtatur aliquid ſtypticum imponendo. Abhinc facile etiam intelligatur, quare gravidæ, varicibus, ac œdemate partium inferiorum & ſimilibus ſæpe laborant, & quomodo curantur.

§. XXXV. Ordine jam ducimur ad expendendas quasdam alias hujus morbi cauſas, ſub titulo accidentium antea memoratas; Talia ſunt, Motus Violenti, Lapſus, ictus, medicamenta ſtimulantia, hyſterica, Emenagoga imprudenter adhibita, animi affectus &c.

Motus violenti. Qualis ſunt Saltatio, curſus, equitatio, vectio in rheda aliisve machinis ſuper vias ſtratas; his enim valde ſuccutitur corpus, musculique exercentur; hinc magis promovetur circuitus ſanguinis per venas, unde citius repletur cor, ſicque ſæpius contrahitur; plus ſanguinis eodem tempore ad cerebrum vehitur, plures ſpiritus ſeparantur, ideoque fortius contrahitur cor, majorque, ſanguinis quantitas, per aortam deſcendentem impellitur, & invenis uteri accumulatur; tunc diſtenduntur vaſa lateralia, ſuccuſſionibus etiam multum adjuvantibus, placenta divellitur, fluxus uterinus producitur. Eundem effectum aliquando in renibus ab iisdem cauſis vidimus.

Lapſus. Cui in procedendo gravidæ ſunt maxime proclives propter æquilibrium ſublatum, pondere maximo anterius vergente, hinc non curatur nisi poſt partum, tempore vero geſtationis aliquid levaminis afferri poterit per fascias latas, imo ventris circumductas, ſuperiora verſus ducendas; Conveniunt his fœminis, calcei lati & humiles, in procedendo habeant comitem qui eas ſuſtineant, præterea vitent ſcalas, aliaque loca declivia & inæqualia. Lapſus periculum abortus inducit, vel ſuccuſſione, vel impingendo abdomen in aliquod corpus durum, & tunc idem ſit quod,

Ictus. qui ob vim ſubitam, (qua ſæpe ſolvatur nexus placentæ, &

(z) Aph. 27. Lib. 7.

& forte occidatur fœtus) contusionem & inflamationem utero allatam, merito periculosissimus habetur; hinc equidem non mirandum est quod in sacris scriptis legitur illum virum esse morte plectendum, qui gravidæ abdomen pugna feriret, nam ille matrem & fœtum interficit. Huc etiam pertinent mali effectus, quos sæpe nimia abdominis extensio, in allevatione brachiorum & subita depressione, aut gravioris ponderis elevatione producit.

Medicamentorum stimulantium &c. operationem hic indagare, plus quam par est spatii occuparet; sufficiat ergo notare, quod ea ipsa ratione, qua utuntur in obstructionibus mensium, in hoc casu vetuntur; nempe quod sanguinem attenuant, motum momentumque ejus augent: ergo raro si unquam, & maximis cautelis in usum revocanda sunt, dum mulier utero gerit.

Immodicus usus veneris iisdem fere rationibus, non injuste, in causas abortiendi enumerari possunt, testante Spectatissimo J. Friend (*a*). & Gul. Fabritius (*b*).

Accidentia jam jam tradita plerumque curam feminæ ipsius, vel iis curantis medici requirunt, ut evitentur; sequentia vero nempe,

Pathemata Animi, nulla humana prudentia evitanda sunt, attamen quantum corpus afficiunt, fœminæ tristi sane experientiâ non ignorant. Sed quoniam philosopho magis quam medico convenit mutuam sympathiam inter corpus & mentem explicare iis relinquam; contentus solummodo pauca de effectibus sensibilibus offerre, ut abhinc pateat, abortum aliquando his originem debere. Atque ex his pauca exempla proposito satisfaciat.

Nemini tunc non notum est observanti, quod in Irato homine statim nascitur validior & celerior cordis contractio, pulsus fit plenior, fortior, celerior, Tument omnia & expanduntur, etiam in macilentissimis: Calor major nascitur toto corpore, omnes fere tenduntur musculi, truces prominent oculi, scintillantes, sanguine suffusi &c. Hæc omnia, apud Homerum, qui tam pulchre naturam ubique expressit, bene memorantur:

Irati Agamemnonis oculi igni lucenti similes erant (*c*); Irato Achilli ob vi abductam puellam terribiles lucebant oculi (*d*); Ajaci suadenti, ut arma Caperet, respondet Achilles, *sed mihi tumescit Cor ira &c.* (*e*) dum a Thetide arma allata Conspiceret Achilles, *statim ira subit, & oculi terribiliter sub palpebris tanquam jubar apparebant* (*f*). Contra

(*a*) Emen. ch. 9. (*b*) Cent. 11. obs. 80. (*c*) Iliad. Lib. I. pag. 7. (*d*) Id. Ibid. p. 11. (*e*) Id. Lib. 9. p. 171. (*f*) Id. Lib. 19. p. 346.

Contra vero ſubito terrore perculſus homo pallet, friget, contrahitur toto corpore, pulſus celer ſed parvus & inæqualis, Cor palpitat, ſumma oppreſſio circa pulmonem & ſuſpiria adſunt, omne robur membrorum ſolvitur, tremor fit totius corporis, vel & aliquando attoniti obrigeſcunt ſtatuæ inſtar, & vox faucibus hæret. Hinc frigidum timorem dixit Homerus (*g*), & alibi (*h*) pallidum timorem vocavit; dum irruentem menelaum fugit Alexander, *tremor occupavit membra, & retro ſeceſſit, & pallor occupavit genas* (*i*); ſimilia & in pluribus aliis locis habet.

Quantum autem Tranquilla mentis Sennitas, vel mediacris hilaritas placida ſpe fulta, Conducant & ſanitati tuendi, & morbis medendis, omnibus patet: Dum dira mæſtitia, & anxiæ curæ etiam corpus depascuntur: hinc elegantiſſime cecinit Ovidius (*k*).

Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ;
Adducitque cutim macies, & in aëra ſuccus
Corporis omnis abit; vox tantum atque oſſa ſuperſunt.

§. XXXVI. Quare abhinc metuendus eſt Abortus nemini parum corpus humanum ſtudenti latebit; quem autem opem afferre non tam facile determinatur; Quod ad mentem ſpectat, optimum quod novi conſilium dat Celeberrimns Boerhavius, (*l*), ſcil. " magnos affectus ratiocinio, excitamento contrarii affectus, „ vel divertendo ſopire. Quoad corpus, varii varia requirunt; dum enim in uno vim vitæ prudenter ſopire, plenitudinem minuendo, ſolida laxando, VSne. Evacuantibus, & laxantibus adhibitis, neceſſe eſt: In aliis eadem vis Excitanda eſt ſtimulantibus, Cardacis, & nutrientibus. Ubi vero validi animi affectus omnia turbant in corpore, & totum ſyſtema nervorum irritant, ut in hyſterica paſſione ſæpe fit; tunc confugiendum eſt ad illa quæ ſpiritus ſopiunt, & omnem cerebri actionem pro tempore ſilere faciunt: tale imprimis auxilium dat generoſus ille papaveris ſuccus, qui parca copia ſumptus lætiſſimum facit, & (qui ni experientia doctus cogitaviſſet) ſenſum, & inſtar Nepenthes Helenæ omnium malorum oblivionem; aucta doſi ſomnum profundum inducit, nimia copia tandem apoplexiam.

Vini uſus in homine non admodum aſſueto ſimilia facit, magnam

(*g*) Id. Lib. 9. p. 149. (*h*) Id. L. 14. p. 272. (*i*) Id. L. 3. p. 50. (*k*) Metamor. Lib. 3. (*l*) Aph. 104.

gnam nempe hilaritatem, validos animi affectus lenit, tandem optatam omnium malorum requiem, ſomnum inducit.

§. XXXVII. Omnes morbi quibus gravidæ corripi poſſunt aliquomodo Abortum minantur, ex iis vero quidam ſunt qui præcipue illas periclitantur, vel ob univerſam mutationem humorum, vel ob dolorem, aut actionem fortem Partis læſæ, vel ob vicinitatem loci; de quibus ſolum mentionem faciam.

Hi ſunt febres acutæ, tuſſes ferinæ, morbi omnes convulſivi, inflamatorii, præcipue inteſtinorum & renum, ut Ilius, colicus, nephritis, calculus renum, vel veſicæ; quorum ſinguli pro natura ſua idoneis remediis tractandi ſunt, ratione ſemper habita præſenti ſtatui patientis.

§. XXXVIII. Signa imminentis Abortus, & legitimi partus magna ex parte ſunt communia; nam in utroque caſu cum quadam precedente horripulatione, & partium extremarum refrigeratione, dolor preſſorius in lumbis, qui ſeſe extendit ad imum ventrem, precipitur; poſtea ad os ſacrum, coxendicem, & inguina deſcendit cum pulſuum arteriarum auctiori; os uteri fit humidum, & relaxatur, & evacuatio inſtar loturæ carnium procedit. Speciatim vero in Abortu ante ex pulſionem fœtus, ſanguis purus cum grumis ſat largà ſæpius copiâ' cum ſumma debilitate, & frequentius animi deliquio ejicitur (*m*).

§. XXXIX. Diagnoſis præcipue ſanguinis fluxui pendet; multum ergo intereſt ſcire num ex vaſis uteri ſeu vaginæ profluit.

Ex utero fluere noscimus 1°. Si os uteri apertum digito immiſſo deprehendamus. 2do. Si ſanguis immoderate profluat, nam propter augmentationem vaſorum uteri, multum ſanguinis hæret in ejus ſubſtantia, effluxurum vero impedit placenta, hæc vero ab eo abrupta, facit illico talem hæmorrhagiam quaſi victima eſſet recens mactata; Sed ſi clauſus fit uterus, & fluor moderatus, lente ſtillans; tum non eſt fluxus uterimus, ſed tum vaſa in vagina ſe evacuant, quod ſalubre eſt (§. XXI.): quare fallit aliquando Aph. Hipp. (*n*) ubi ait: " Si mulier gravida fit menſtrua-
„ lis, fœtus non poteſt eſſe ſanus.

§. XL. Prognoſis habetur a viribus & gradu ſanitatis quibus gaudet

(*m*) Hoffman ſyſtem. rational. Tom. 4. pars 3. S. 2. ch. 9. §. 4. Hipp. de Morb. Mulier. L. 2. §. 6. (*n*) L. 5. Aph. 60. Hoffman l. c. §. 5.

gaudet fœmina; a causa magis vel minus violenta; Esque etiam eo periculosior quo adultior fœtus existit; hinc ergo post sextum mensem quando vasa mire distenduntur vix possibile est, fluore uterino superveniente, impedire quin sequeretur Abortus, & sæpius cum magno periculo (§. XXX.); contra vero ante hoc tempus, justa methodo medendi instituta & continuata, sæpe fluxus coercetur, & ad debitum tempus conservatur in utero fœtus; atqui si acciderit ante hoc tempus Abortus sæpe adsit parvum periculum, imo forte nunquam notum fuit, fœminam tunc ab eo solo obiisse: ergo concludimus quo propior est fœmina, debito tempori partus, eo magis imminet periculum, si fluore uterinos corripiatur.

Hic observatu dignum est, quod dolores quo validiores sunt eo felicius ad finem ducunt partum; Ergo in tali casu resuscitandi; Imo exclusio fœtus a natura hac ratione excitata, raro tam malis sequelis excipitur, (si debito tempore fit) ac operatio (§. 46.); ut pote quod citius sistit hæmorrhagia & contrahitur uterus, (*o*). Cavendum autem est ne nimia mora sanationem eludimus.

§. XLI. Omne nunc auxilium quod in abortionis negotio, a medenti sperari ac promitti potest, in eo duntaxat consistit; ut præcaveat futurum, & imminentem vel jam præsentem curet. Primum indicatum impetrare licet si ope remediorum ex diætetico, Pharmaceutico, & Chirurgico fonte petitorum, eas causas, quæ pravam abortiendi dispositionem utero induxerunt, omni cura & studio amovere nitatur; tales vero quæ eandem inducere possunt non minori studio impedire. Hujusce indicatus una pars jam tractata, ad alteram quæ prophylactica audit, nunc aggrediamur. Eum in finem, gravida per totum gestationis tempus bonum in rebus NN. regimen servet; *Aër* igitur sit temperatus, nam nimium calidus aut frigidus nocet (*p*), in eo ne sint acres odores, gravesve fætores. Sit prægnanti in *victu* sobrietas; *Cibi* sint euchymi & eupepti, vitatis omnibus crudis, dyspeptis, flatuosis, acribus diureticis, emenagogis &c. nimia quantitate simul non ingerantur, sed modice pluries de die, ne concoctionem impediant, vires gravent, vomitumque inducant: *Potus* sit cerevisia, bene defæcata non vetusta, vinum molle, mediocris substantiæ,

(*o*) Mem. Acad. Royal. de Chirurg p. 368. (*p*) Hip. L. 3. Aph. 12.

tiæ, cum cinnam. cariopn. &c. aromaticis (ſi delectant) infuſum.

In *motu & quiete* ſit certa ratio; deambulationes igitur & moderata proſunt exercitia; curſus vero, ſaltus, choreas, devitent, equitatione vel venatione non delectantur: Caveant ne ſpem uteri avertant vehementes animi affectus, ut nimium gaudium, riſus ira, timor, mæror, Zelotypia & Terror; nec medullis acrius inſidens amatorius furor, disjiciat homuncionis radiculam; nocet etiam res horridas aſpicere, quia terrorem maximum incutiunt; terrent parriter ſonitus nimis vehementes, ut tonitruum bombardarum, fragores, clangoreſque tubarum & ſimiles. *Somno* placido non nimis protracto indulgendum eſt. Alvus nec nimium ſit ſtricta, nec laxa nimium; aut ſi impuritates primas vias occuparent, non erit alienum ipſam purgare, „ *prægnantes enim ſunt* „ *medicandæ, ſi materia turget*, *Hipp.*, ſolvatur ergo leni purganti, diæta laxanti &c. *Veſtes* pariter caveant arctiores, quæ uterum comprimunt, fœtus enim vel incrementum prohibent vel pravam ipſi figuram conciliant, ideo præſtat laxioribus uti indumentis ac liberis; evitentur denique quicquid uteri ſpaſmum valebit irritare, vel contra fibras ejus nimium laxare; quicquid muſculos abdominis ſuſcitabit, vel nervorum erithiſmum excitabit; quicquid humorum accendet orgaſmum, vel eorum plaſticam naturam deſtruet, atque eos eodem tempore ad inferiora attrahet.

§. XLII. Ad alterum indicatum nunc pergamus, nempe ſi cauſæ alicujus internæ vel externæ efficacia inſtet abortus, doloreſque ventrem ac lumbos fatigent; ſi fieri poſſit, omni arte impediendus, eſt doloreſque ſedandi; hinc fœmina in lecto ſtatim collocanda eſt, in omnimoda corporis ac animi quiete, omnibusque cauſis, appropriata opponenda ſunt remedia; ſic v. g. ſi plethora in cauſa eſſet, & vires matris conſtant, ſtatim inſtituenda eſt V. S. & ſi opus repetenda ad læve animi deliquium; ſi alvus ſit ſtricta, adminiſtratur Enema emolliens; dentur Anodyna, & ſi ulla apparet ſanguinis diſtillatio, Adſtringentia, inter quæ, cæteris omnibus adhuc inventis, Pil. de Styrace, & Tinct. Antiph. Pharmacop. Edinburg. palmam præripiunt, quæ adhibeantur cum infuſione fol. roſ. rub., cum pauxillo ſpir. vitrioli; potus communis ſit aqua frigida, cum ſucco citri, vel ſimili frigido & acido medicamento. Hujuſmodi molimina ad abortum, quoties occurrunt, toties, monente Boerhavio, e partibus ſuperioribus mitten-

dus eſt ſanguis; Imo tantum hic valet V. S. ut lanceola quaſi ſpecifica vocari poſſit, nempe ſi plethora adſit, vel habitus abortiendi præceſſerit, vel ad abortum præcavendum, vel imminentem avertendum; & qui eam negligit, ſolis adſtringentibus confidens, ſane ægris ſuis male conſulit.

Multa extant exempla, quæ jam dicta confirmant, ex quibus haud minimum affert Celeberrimus Profeſſor noſter, D. VAN ROEN, in prælectionibus ſuis, de fæmina, quæ multoties abortivit, ſed demum (ipſo monente) V. Sne. 2do menſe inſtituta, nempe octiduum ante menſtrua prodire debuiſſent, pro ſecunda vice, ſi non fuiſſet gravida, & unoquoque menſe repetita usque ad ſeptimum, fœtum conſervavit ad debitum tempus, & tum infantem optime valentem feliciter peperit.

§. XLIII. Si vero contra, ſanguinis defectus in cauſa eſſet, vel largus fluxus ſanguineus præceſſiſſet; ægra in quiete poſita, ſitu horizontali, adſtringentibus ac anodinis non omiſſis; adhibeantur analeptica in quibus materia jam fere ita præparata adeſt, ac in corpore ſano & forti ſit, quæ parva ſed ſæpe repetita copia aſſumenda ſunt; abſtinendum tunc omnino eſt a V. S. ſed ligaturæ extremis admovendæ ſunt, ut ſanguis eo per arterias dilatus, in venis moreretur; & aliqui volunt ut frigida ventri applicata eſſent; ſummum eſt remedium in utroque caſu, omnia veſtimenta, primo momento ſolvere, ut vaſa laxentur. His methodis ſæpe feliciſſime coercetur fluxus, ſed ſemper metuendus ne reverteret, cum plerumque tunc debetur ſeparationi cujusdam parvæ partis placentæ, ſanguis vero nunc coactus & eo concretus, quaſi obturamentum devenit, quo clauduntur ora vaſorum, facile vero iterum ſeparandum, niſi fœmina ipſa omni cura & prudentia in præſcriptionibus medici proſequendis utitur; hinc ergo medico intereſt preſertim adolescenti, prognoſin de fluxu recidivo facere, ut & de neceſſitate operationis, ſi multum urgeret.

§. XLIV. His omnibus non, ſero, vel fruſtra peractis, jamque evidenter omnino diſruptæ ſint adhæſiones Placentæ, aut ipſe fœtus mortuus eſt, conſultiſſimum tunc eſt fœtum vel medicamentis vel manuali operatione protinus expellere: Quis autem in caſu tam deplorando, medicaminibus confideret? Quum antequam iis poſſibile foret vires ſuas exercere, fluxu indeſinenter procedente (ob uterum & vaſa diſtenta manentia) perque ea ipſa aucto, actum eſſet de vita. Operatio erga altera ſine mora inſtituenda eſt; nam

ſi

ſi retardatur donec miſera convulſionibus corripitur, Heu! Conclamatum erit. Attamen abhinc non abſolvitur ſuo officio medicus; ſed cum interdum mira fecit natura, Prognoſi facto, & (ſi convenit & fieri poteſt) alio ad concilium accerſito, ſuum eſt, omnem artis ſuæ opem ferre ad uterum fætu & ſecundinis liberandum, quo ſolo, ſi omnino, Effulget ſpes.

§. XLV. In quantum magnopere intereſt ſcire quando neceſſitas hujus operationis ita urgeat, ut non ſine ultimo diſcrimine matri & fœtui diſpenſanda ſit; ne nimis cito vel ſero nimium ſuſcipiatur: pauca de ea adjiciam. Imprimis tunc hæc neceſſitas dignoſcitur: ſi placenta utero avulſa ſit, cujus ſigna jam (§. XXXIX) tradita ſunt, & adhuc magis certiſſimum fit, ſi placenta tactu ori uteri adjacere, ut aliquando accidit, percipitur; 2do. Mortuo fætu; non omitti poteſt; hujus equidem ſigna omnia plerumque fallacia ſunt, attamen membranis ruptis, & ichore fætido effluente certiſſimum conſtat.

§. XLVI. Hæc operatio, tam neceſſaria cognitu, & Analoga huic, in omni fere partu difficili uſitandæ, ut multum lubeat, de ea breviter diſſerere vellem.

His igitur ſignis (§. 39. 44. 45.) præſentibus; tempus minime terendum eſt in preſcribendis Cardiacis potionibus, aſtringentibusve remediis, actionem vaſorum ſpasmodicam, & hæmorhagiam excitantibus, non ſedantibus; ora enim vaſorum nesciunt coalescere, quamd præſente fœtu uterus extenditur, & nunc V. Sni. confidentius curationem committere eſt ſanationem eludere; In expectatione enim periculum eſt, ne gravida ſub manibus expiret, vel fœtus, cara ſpes parentum (ſi vivus ſit) in utero ſuffocetur. Dum ergo ſinunt utriusque vires, jubet utriusque preſens ſtatus, ad operationem accingere: nec objiciatur, quod neutrum juvendum eſt, ſi alteri ſubveniri non poteſt, quin lædatur alter.

Adhibitis ideo quæ requiruntur cautionibus, collocata convenienter ægra, ſuperiore & inferiore parte corporis æqualiter in lecto recumbentibus, (quod in partu naturali aliter ſe habet), Obſtetrix digitis butyro recenti vel oleo inunctis, os uteri tanget, ſenſimque dilatet, ita ut digitorum omnium Apices poſſit intrudere; hoc ſi gradatim & cum intermiſſionibus fit dolores proprie excitat. Omnia tunc cum judicio arte & induſtria, peragenda ſunt, pro re preſenti, pro fœtus ætate: ore uteri ampliato, membrana digitis laceranda eſt, inque eam ruptam, favente aquarum lubrico flumi-

ne, immittenda manus, infantis pedes quærendi, sepositis quovis alio membro, ipsomet capite: Nec matris viribus confidas; pedibus repertis, has, si fieri potest, conjungas, trahas, vertasque infantem, ita ut facie prona, vergat ad intestinum rectum matris, sicque omnino extrahatur. Quo facto statim & secundinæ educuntur, viam monstrante funi umbilicali, Uterus sedulo repurgetur ab omnibus sanguinis grumis, membranis, si sinant ægri vires, secus lochiis succedentibus, res committenda; Sublato & deligato quamprimum fætu, exciso funi umbilic: Exclusis opportune secundinis, matri providendum est. (q)

In partu naturali puerpera nisibus suis, operationem non sine dolore solicitantibus, rem aggreditur, inchoat, perficit: at in violenta partu, arte famulante & obstetricante puerperæ opus est. Quanta igitur prudentia, doctrina, mansuetudine, experientia, indigeat obstetrix, quis ibit inficias. Absoluta partus operatione, puerpera in lectum calidum delata, omni sublato refrigerio, in medio quasi tepore blando, alta quiete contineatur, sine ullo corporis motu. Diæta præscribatur secundum indicationes; si febris ardet, tenuis sit victus, secus, lautior concedatur, ut evacuationibus sufficiant vires. Enemata emoll., aliquando prescribantur, ne humorum diversi generis salsedine irritentur viscera. Lacte generato, precedente motu horripulatorio, & febrilem rigorem mentiente, primo spissius apparet, areolam conspurcans, colore flavescens, naturale infantuli repurgamentum; mox albedine, dulcedine, consistentia donandum. Quod si non conservandi animus est, caveant ab illo perverso more vetulis sæpe usitato, spiritus fortes applicandi, vel carbonem tam prope quam ferre possit tenendi, sæpius repetendi; gratia (ut aiunt,) repellendi; quibus sæpe sic coagulatur lac, & corrugantur fibræ ut inde formantur tumores postea ad optima quævis remedia rebelles, & forte in canceros finientes: & in præscribendis saphenæ VSbus. ut aliqui volunt, prudens festina lente; remque potius naturæ solerter medicanti committas, quam remediis temere utendo, infamiam incurras.

Jam ad finem perduximus hanc curtam nimis & imperfectam dis-

(q) Hæc omnia jam dicta §. 39. 4. & a § 42. hucusque, multum corroborantur, in Boerhav. Aph. a 1306. ad 1309. & in mem. de l'Acad. Royal de Chirurg. p. 359. & ultra, mem sur les pertes de sang des fem. gross. per M. Puzos.

dissertatiunculam; de qua, iterum, Candide Lector, cordate judica. Quod ex aliorum scriptis deprompsi, defensionem nequaquam desiderat, quod autem a me interpositum est, utpote ab adolescente arduam hanc medicinæ viam ingrediente, æqui bonique consulas.

- - - Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non his utere mecum.

HOR.

Faxit Deus Ter Opt. Max. ut hæcce mea studia & Conamina dirigantur in Nominis sui Gloriam, Proximorumque Salutem.

FINIS.